

sita, quod gratiam sanctificantem confert, quod unionem hypostaticam Verbi divini cum humana natura repræsentat, itidemque illam, qua Christus cum Ecclesia per gratiam conjungitur; non autem in eo sita est, quod spuriam prolem legitimam efficiat. Neque enim hanc efficaciam Jesus Christus tribuit matrimonio, quum illud ad dignitatem sacramenti novæ Legis exivit; sed id ab Ecclesia institutum est, cui placuit, pro auctoritate sibi concessa statuere, ut proles extra matrimonium, non tamen ex adulterio procreata, per subsequens matrimonium legitima fieret.

§ 40. Denique addis, magis abominatam canonicis legibus esse prolem incestuosam, quam sit proles adulterina; ideoque, cum illa interdum legitima fiat, hanc etiam pari, aut majori ratione, legitimari posse. Porro legitimitur proles incestuosa ope dispensationis, quæ dicitur *in radice matrimonii*. Ut autem obtineatur hujusmodi dispensatio, quæ non sine urgentissima causa concedi consuevit, requiritur, quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali; quodque impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non a jure divino, aut naturali, sed a jure duntaxat Ecclesiastico proveniat. Sicque, et non aliter legitimitur proles incestuosa, vigore dispensationis, quæ dicitur *in radice matrimonii*. Tuum modo est hujusmodi circumstantias aptare ad legitimationem prolis ex adulterio genitæ; quod sane opus ingenii nostri tenuitatem excedere fateamur.

§ 41. Hactenus Fraternitati Tuæ satisfacere studuimus, quoad nobis licuit per angustias temporis, ut plurimum somno detracti, meram gerentes in hac epistola, ut initio dicebamus, privati doctoris personam: nunc demum epistolæ nostræ finem facientes, supremi Pastoris partes resumimus, ut apostolicam tibi benedictionem impertiamur; utque præterea te admoneamus, quod, quum ea quæ ad Nos scripsisti, a Justo Henningio Boehmero (quantumvis nullam de eò mentionem feceris) sis mutuatus, eaque descriperis ex ejus opere *De jure ecclesiastico protestantium*, tom. I, pag. 237 et sequentibus, juxta tertiam editionem anno 1730 typis impressam; sicuti laudabilis foret industria tua, si eo auctore usus esses ad venerabiles Ecclesiæ catholicæ doctrinas illustrandas, aut si ipsum, in iis, in quibus Nobis adversatur, confutare aggressus esses; ita reprehensioni te obnoxium fecisti, dum illius opus perlegere, atque etiam tacitus transcribere ausus es, ut ad impugnandas canonicæ jurisprudentiæ sententias inter orthodoxos communiter receptas, instructor accederes. At ne forte Paterni hujus moniti libertatem in malam partem accipias, tibi persuasum volumus, non minus sincero charitatis affectu Nos te complecti, ac Fraternitati Tuæ fausta omnia ex animo adprecari.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 5 Decembris 1744, Pontificatus nostri anno quinto.

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

NEC NON

S. PŒNITENTIARIÆ RESPONSA,

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE RESPŒNSUM.

H

HÆRETICUS.

S. R. ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS RESPŒNSUM.
Instructio de communicatione in divinis catholicorum cum hæreticis, et schismaticis, edita pro missionariis Orientis, anno MDCCXXIX.

(1. Cum sæpe, ac diu varii, sub variis utilitatis, necessitatis, periculorum, vexationum, atque etiam persecutionis a fidelibus subeundæ circumstantiis, casus huic sacræ congregationi propositi fuerint a missionariis, ac prælatis orientis quoad communicationem in divinis catholicorum cum hæreticis, et schismaticis; cumque ab hac S. congregatione constanter, uniformiterque

rescriptum fuerit *non licere*, concepta spes erat missionarios Orientis satis ac facile intellecturos posse quidem *speculative* casus aliquos excogitari, in quibus communicationem aliquam in divinis tolerare liceret, sed *practice*, circumspectis omnibus facti circumstantiis, difficillime casus inveniri, in quibus ea commutatio liceat, ac moraliter etiam impossibile esse ut alia præscribatur regula generalis cuique hominum generi, cuique regioni, cuique temporis accommodata, quam quæ iteratis a missionariis Orientis quæsitis data est ab hac sancta congregatione in instructione edita anno 1719, eo nimirum doctrinæ principio nixa, quod

communicatio in divinis cum hæreticis et schismaticis ut illicita regulariter habenda esset in praxi, vel ob periculum perversionis in fide catholica, vel ob periculum participationis in ritu hæretico et schismatico; vel denique ob periculum, et occasionem scandali: quæ quidem circumstantiæ quemadmodum regulariter communicationi in divinis cum hæreticis et schismaticis connectuntur in praxi, ita universim vetitæ sunt jure naturali, ac divino, in quo nec ulla potestas est, quæ dispenset, nec ulla conniventia, quæ excuset; adeo ut nullus relictus locus fuerit nova dubia fingendi, ac proponendi: proinde in ea instructione diserte præscriptum est: « Missionarii instruendi erunt, quod omnino abstinere debent ab actibus protestativis falsæ sectæ, a communicatione in ritu schismatico et hæretico, a periculo perversionis, et ab occasione scandali. »

(2. Addita quidem in prædicta instructione hæc verba sunt: « Hisce semper firmis, et salvis, et præ oculis habitis; si ulterius aliquod grave dubium occurret, doctores, theologos, et missionarios diu versatos in illis regionibus consulant. » Quæ quidem aliqui contra mentem S. hujus congregationis interpretati jus sibi arrogarunt casus omnes definiendi, ac scriptis etiam regulas generales tradendi in hac materia adeo implexa periculosas: ex quibus et missionariorum discissa studia, districta consilia et opiniones minime coherentes, quæstionem, licet toties definitam, magis ac magis implicarunt, non sine detrimento conscientiarum, et scandalo, offensioneque bonorum: quare hæc S. congregatio opportunum duxit prædictam instructionem iterum inculcare, ac singulis missionariis omnino præscribere ut regulis in ea traditis sese omnino conforment et obtemperent.

(3. Cordi sit ergo singulis prælatis, missionariis, sive directoribus animarum fideles edocere, atque excitare ad hæc evitanda pericula, quæ regulariter aut omnia, aut aliqua subeunt in communicatione *in divinis*, cum hæreticis et schismaticis Orientis, qui licet adhuc substantiam ac valorem sacramentorum plerumque conservent, non sinunt tamen, ut ea, quæ debent, catholici improbationis, et segregationis signa exteriorius edant; ex quo fit, ut exterior illa conformatio in eodem cultu, et reverentia in pseudo ministros liturgiæ catholicæ quemque, quamvis in fide firmissimum, ritus et hæreticos, vel schismaticos, quibus eorum cultus inficitur, exhorrentem, periculo tamen scandali liberare non possit.

(4. Id ex eo etiam confirmatur magis, quod vix ullus sit ritus apud heterodoxos, qui aliquo errore in materia fidei non maculetur; nam in eorum ecclesiis, vel dedicatio est in memoriam schismatici alicujus, quem ut sanctum venerantur, vel exstant imagines, vel coluntur reliquiæ, vel festa celebrantur eorum, qui in schismate mortui, veluti sancti vulgo habentur: vel de-

nique commemoratio fit viventium patriarcharum, et episcoporum schismaticorum et hæreticorum, qui ut *fidei catholice prædicatores* commendantur. Qua de re qui in ea ritus, et orationis, et cultus celebratione conveniunt in his facti circumstantiis catholici quique, reatu perversæ communicationis aut saltem perniciosi scandali purgari non possunt. Nec eos excusat assistentiæ mere materialis prætextus; facto enim ipso excluditur, quo qui functionibus hisce hæreticorum aut schismaticorum intersunt, satis cum ipsis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in unitate venerationis et obsequii erga perversos ministros hæreseos schismaticosque præferunt.

(5. Patescit id etiam ex eo, quod Orientales ipsi quotidie oculis vident, auribus audiunt, ore confitentur, nullum nempe sectarium obfirmatum in schismate accedere, interesse, convenire in ecclesiis catholicorum, sive ut missam audiat, sive ut sacramenta suscipiat: ea nimirum de causa, quod fidelium conventus veluti perversæ communionis blasphemantes, perniciosum et illicitum putent commercium hoc, ritumque damnabilem. Cum vero videant ad eorum ecclesias accedere, eorum ritibus interesse, de eorum sacramentis participare catholicos, an non credendum, aut saltem timendum erit, ne ex hoc ipso magis in suis erroribus confirmentur, ac se in recto salutis tramite ambulare sibi etiam hoc exemplo persuadeant? Ex quo sequitur, difficillime vitari posse periculum scandali perniciosi schismaticis et hæreticis ipsis: ac proinde catholicum tutum in conscientia non esse, si cum iis in divinis in hac facti specie communicet.

(6. Hæc sane fidelibus documenta tradenda sunt, atque ideo hæc S. congregatio prælatis, missionariis, et singulis animarum directoribus in Oriente serio injungit, ut unanimes hoc ipsum dicant omnes, et in eodem sensu ac sententia maneat, nec contrarium doceant, aut per modum consilii, aut per modum dispensationis: sed magis hortentur fideles pro re tanta, ut a communicatione *in divinis* cum schismaticis et hæreticis prorsus abstineant; et si quando ab ea regula deviarint, eos hortentur, ac doceant, ut peccatum hoc aperiant in sacramento pœnitentiæ, quo veniam a Deo obtineant, et in posterum cautiore evadant.

(7. In excipiendis vero confessionibus missionarii, sive directores circumstantias casus, quæ magis, vel minus gravem pœnitentium culpam efficiunt, diligenter examinent, eorumque oculis subpiciant: in id semper intenti, ne quid laxam hac in re eorum conscientiam efficiat; sed opportunis documentis et monitis timidiorem potius, et cautiorem, ne communicando *in divinis* cum schismaticis, hæreticis, animam in salutis discrimen adducant.

(8. Consuetum quidem est causam persecutionis afferre, quam a schismaticis, et hæreticis subeunt catholici, qui ab eorum ecclesiis, ac functionibus abstinere. At

curent missionarii ac directores, ut quique cognoscant vanum plerumque metum esse, imo vero etiam necessarium omnino esse persecutioni non cedere: eo vel quia persecutio ipsa æquivalet interrogationi fidei; atque id etiam ostendant tum exemplis tot fortissimorum ac firmissimorum in fide catholicorum, qui hujusmodi vexationibus minime succumbunt, tum antedicto doctrinæ principio ab ipsa etiam Ecclesia Orientali suscepto, tum denique catholici nominis dignitate, quæ minime patitur ut ipsi inimicis animarum, et fidei, et unionis quam profitentur cum Romana Ecclesia, sese subjiciant, ac demittant: quinimo attendant, non alio spectare artem hanc vexandi fideles, quam ut ab iis agnoscantur heterodoxi veluti verorum rituum, veræ fidei, veræ ecclesiæ ministri, atque ita facile catholicos, aut a fide prævaricatores, aut saltem errorum approbatores facto ipso efficiant; licet dictitent, semper se eorum communionem exigere tantum pro conservatione ritus, et eleemosynarum. Quæ quidem omnia si serio ac graviter, et iteratis monitis impressa fidelium mentibus fuerint, sperandum sane est ex seipsis promptiores, et acriores in dies ferendis injuriis factos, firmiores quoque, ac constantiores futuros in unione, et communione veræ unius Ecclesiæ, quam profitentur.

Facile sibi persuadet hæc S. congregatio, omnes, et singulos prælatos, et directores animarum in Oriente, maxime vero missionarios instructionem hanc, veluti normam in praxi servandam habituros, disputationibus hac de re prorsus omissis; nec aliud, sive in agendo, sive in docendo, semotis dissidiis, secuturos. Quod si præter spem aliter acciderit, noverint omnes qui catholico nomine gloriantur S. hanc congregationem contra transgressores validiora remedia paraturam, eosque ut minime idoneos directioni animarum, et missionibus Orientis habituram.

V. CARD. PETRA PRÆF.

S. R. Universalis Inquisitionis Decretum de eadem materia.

Feria v, die 10 Maii MDCCLIII. In congregatione generali S. R. et Universalis Inqui-

sitionis Sancti Officii, super dubiis propositis a quodam Missionario civitatis Tenos in Peloponneso, et a S. Cong. de propaganda fide ad S. Officium transmissis per ejus R. P. D. Secretarium die 24 Martii ejusdem anni: Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, decrevit.

Ad primum, nempe: An liceat catholicis latinis concedere, vel permittere, ut in eorum ecclesiis missam celebrent presbyteri græci ritus, schismatici et hæretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum? Quoad primam partem dicti dubii respondendum: *Non licere*: maxime cum patriarchæ Constantinopolitani commemorationem faciant, et festum celebrent infamis Palamas: id enim perinde est ac consentire eorum hæreticis ritibus, et communicare cum eis in eorum sacris schismatico et hæretico confusione pollutis, aut saltem occasionem præbere catholicis ad latinas interventibus ecclesiis communicandi cum hæreticis in divinis rebus, aut ad minus scandalum concipiendi. Quo vero ad secundam partem ejusdem dubii, quatenus schismatici comitantes funera catholicorum *meram præsentiam materiale* exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis, quibus mos est funera offerre, et defunctos ad sepulcrum deducere, *tolerari posse*; quatenus vero in illa functione *propriis ritus adhibeant*, vel nostris se immisceant, *non licere, nec esse permittendum*.

Ad secundum, nempe: An liceat catholicis græci ritus non habentibus catholicam ecclesiam ejusdem ritus, communicare in divinis cum græcis schismaticis, et hæreticis: *Non licere*, quia in casu proposito confugere possunt ad ecclesiam catholicam Latinorum, et ex defectu sacerdotis catholici ritus græci, a sacerdotibus latinis sacramenta suscipere.

Ad tertium, nempe: An liceat confessarius, vel sacerdotibus latinis administrare sacramentum pœnitentiæ græcis catholicis communicantibus in divinis cum Græcis schismaticis: *Non licere extra casum extremæ necessitatis*.

J

JEJUNIUM.

SACRÆ PŒNITENTIARIE RESPONSA.

Ad varia de Jejuniis dubia.

1. Ad quæsitum: Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam 10 et 11 matutinam; prandium vero differendo ad 4 vel 5 horam vespertinam.

S. Pœnitentiaria 10 Jan. 1834, respondendum censuit: « Si inversionis supradictæ rationabilis aliqua exstet causa, pœnitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos. »

2. Ad quæsitum: « Se i padri di famiglia, allorchè vi è nella famiglia medesima qualche persona dispensata ad usar cibi di grasso, possano estender la dispensa indistin-

tamente a tutti gl' individui della stessa famiglia. »

S. Pœnitentiaria, anno, et mense suprad. respondendum censuit: « Infirmat. et aliud quodecunq. rationabile impedimentum, de utrisq. Medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium eximere posse a præcepto abstinentiæ in diebus esurialibus. »

3. Ad quæsitum: « Se nella Quaresima, essendo il capo di famiglia dispensato a mangiar carne, ed il medesimo non potendo, o non volendo far due pranzi, uno di grasso, e l'altro di magro, i figli di famiglia, e le persone addette al suo servizio possano mangiar carne. »

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834, responden-

dum censuit: « Posse personis, quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis: adjecta conditione, de non permiscendis licitis, atque interdicitis epulis, et de unica comestione in die iis qui jejunare tenentur. »

4. Ad quæsitum: « Se coloro i quali sono dispensati dall' osservanza del digiuno per causa di esercitare arti faticose, possano nella Quaresima, allorchè è concesso l'indulto di cibarsi di carne, e di latticini (*pro unica comestione*), far uso delle carni, e dei latticini tutte le volte, che nel corso della giornata hanno bisogno di mangiare, siccome nei giorni di Domenica della stessa Quaresima, nei quali non obbliga il digiuno. »

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834, de mandato felicis recordationis Pii Papæ VII respondit: « Fideles, qui ratione ætatis, vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus, aut lacticiis per idem indultum permittit, quoties per diem edunt. »

5. Ad quæsitum: Utrum ii, qui ratione ætatis, vel laboris jejunare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis, et piscium, cum per indultum carnes permittuntur;

S. Pœnitentiaria 13 Februarii 1834, respondit: *Consulat* (quisque) *probatos auctores* (125).

6. Ad quæsitum: « Un confessore domanda alla Santità Vostra, se ai dispensati (*ad esum carnum*) nei giorni di venerdì, e sabato fra l'anno, nei quali non vi è l'obbligo del digiuno, sia permessa la promiscuità dei cibi, non ostante la risposta da *Benedetto XIV* all' arcivescovo di Saragozza per organo della Segreteria dei Memoriali, li 5 Gennaio 1735; »

S. Pœnitentiaria 15 Febr. 1834, proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimi Domini Gregorio XVI de ipsius Sanctitatis suæ mandato, respondit: *Permitti*.

7. Ad quæsitum: Utrum in diebus jejunii tempore Adventus a Pio VI præscripti, permittit tamen lacticiis, cui propter infirmitatem licitus est usus carniarum, interdici sit promiscuitas carnis, et piscium;

S. Pœnitentiaria 8 Jan. 1834, respondit: *Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem*.

8. Ad quæsitum: Utrum lege vetitæ permiscitionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccatis (vulgo *salumi*, id est *alici*, *mosciame*, *caviale*, *aringa*, *tarantella*, aliaque his similia), an potius misceri possint ad instar condimenti alterius feruli;

(125) Alii docent illos quoque subjici; nam lex *qualitatem* ciborum respiciens omnes rationis usu utentes obligat, adeo ut, si indultum non esset, etiam ab illis a carnibus esset abstinendum: unde tota diversitas eo tantum respicit, ut quæ una vice comedere possunt jejunantes, ea *toties quoties* voluerint valeant comedere a jejuniis liberati. Alii vero, qui-

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834 respondit: « Pisces sale siccatis... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis, et piscium mistio vetita sit. »

9. Ad quæsitum: Utrum tempore jejunii, cui licitus est usus carniarum, liceat miscere testacea marina, quæ improprie *fructus maris* dicuntur, sed vulgo pisces censentur (id est *ostriche*, *telline*, *patelle*, *canolicchi*, *cappe*, *granchi*, etc.);

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834, respondit: « Testacea marina, quæ improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis, et piscium mistio vetita sit. »

10. Ad quæsitum: « Quelli, che sono dispensati dalla qualità dei cibi, possono nei giorni di digiuno cibarsi di sola minestra di brodo per provvedere alla loro salute, e nel resto far uso di cibi esuriali per conservar, quanto si può, l'osservanza della Legge dei cibi; »

S. Pœnitentiaria 8 Febr. 1828, attente consideratis expositis, respondit: *Affirmative*.

11. Ad quæsitum: utrum tempore jejunii liceat mistio carnis cum leguminibus;

S. Pœnitentiaria, anno et mense suprad. respondit: « Carnes cum quibuscunque leguminum speciebus misceri posse, extra omne dubium est. »

12. Ad quæsitum: « Se i dispensati a cibarsi di grasso nei giorni, nei quali fanno uso di soli latticini, possano per coadimento adoperare lo strutto. »

S. Pœnitentiaria 8 Febr. 1828, attente consideratis expositis, respondit: *Affirmative*.

13. Ad quæsitum: Utrum, quum sive per Bullam Cruciatæ, sive aliam ob causam conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo *strutto*) solo titulo condimenti, ii, qui ad jejuniarum tenentur, eo condimento licite uti possint in serotina etiam refectioe;

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834, de expresso sanctæ memoriæ Papæ Leonis XII oraculo, respondit: « Quod ii, qui ad jejuniarum tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectioe condimentis in indulto permittit; quia illa, vi indulti, olei locum tenent: dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione. »

14. Ad dubium: Utrum avis aquatilis, cui nomen fulica (vulgo *folaga*) inter pisces computanda sit, illaque vesci liceat iis diebus, quibus vetitæ sunt carnes: religiosi ordinis Minimorum S. Francisci a Paula, quibus carnes omnino interdicitæ sunt, ad tollendam perplexitatem, qua eorum conscientia hac super re angebantur, supplicationem porrexerunt Pio VII, ut sibi concederetur *posse libere uti* eo cibo.

bus se subscribit Righetti, contrarium tenent; nam Encyclicæ Bened. XIV, quibus ea mistio prohibetur, de solis jejunantibus loquuntur; ergo non ultra sunt extendendæ; alioquin si nimis essent urgendæ, a jejuniis dispensatis in unica tantum comestione essent indulgendæ carnes; cum id semel tantum ibi indulgeatur. Scavini, *Theol. mor.* t. I.

Quibus per S. congregationem regularis disciplinae 22 Febr. 1804, Sanctissimus, veris existentibus narratis, benigne annuit PRO GRA-

TIA juxta petita, constitutionibus ordinis, aliisque non obstantibus, etc.

I INDULGENTIA.

SACRAE CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM DECRETA.

Laudes divini nominis.

(1. Dio sia benedetto — Benedetto sia il suo santo nome — Benedetto sia Gesù Christo vero Dio, e vero uomo — Benedetto sia Gesù nel SS. Sacramento dell'altare — Benedetta sia Maria Madre di Dio — Benedetto sia il nome di Maria Vergine e Madre — Benedetto sia Dio negli Angeli, e Santi Suoi.

DECRETUM URBS, ET ORBIS.

Ex audientia Sanctissimi die 8 Augusti 1847.

Ut Sanctissimum illud Domini nomen, quod, testante Psalmista, a solis ortu usque ad occasum est laudabile, ab universis Christianis praecepta devotione invocetur, Indulgentiam unius anni pro quolibet vice laudes, quarum initium *Dio sia benedetto*, etc., corde saltem contrito, ac devote recitantibus, die 23 Julii 1801, a Pio PP. VII, sa. me. concessam, Animabus quoque in Purgatorio detentis, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX, in audientia die 22 Martii currentis anni, applicabilem esse declaravit. Humillimis demum porrectis precibus a R. Fr. Aloisio Giorgetti Ordinis Minorum Provinciali, ut pro praefata recitatione plenaria quoque indulgentia concederetur, eadem Sanctitas Sua, ipsis oratoris precibus peramanter exceptis, indulsit, ut omnes utriusque sexus Christiani semel saltem in die dictas laudes per integrum mensem recitantes, indulgentiam plenariam, una tantum cujuslibet mensis die, uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes confessi, ac sacra communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, juxta mentem Sanctitatis Suae, pias ad Deum preces effuderint, lucrari possint, et valeant; facta insuper potestate ipsam etiam plenariam indulgentiam Fidelibus pariter defunctis applicandi. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla brevis expeditione.

(2. *Dubia pro indulgentia Viæ crucis.*

Beatissime Pater,

Dominicus Maria Savy Aturensis episcopus in Gallia, S. V. humiliter deprecatur, ut ad sequentia dubia, et quæ sita per sacram Indulgentiarum congregationem respondere dignetur.

1. Multoties ad dealbandos parietes, ab iis disjungantur simul, vel successive quatuordecim cruces, vel imagines *Viæ Crucis*, aliquando ex una ecclesia in aliam transferantur, vel in oratorium: quæritur, an mittantur benedictio et indulgentia?

2. Ad lucrandas indulgentias *Viæ Crucis*

in ecclesia; vel oratorio erectæ annexas, requiriturne recitatio *Sex Pater*, et *Ave* post quatuordecim stationes?

3. Quando propter gravem causam accidentalem Ordinarius præcipit vel approbat orationem *Quadragesima Horarum* dictam, possuntne fideles indulgentiam plenariam lucrari, positus de jure ponendis?

4. Facultas data die 12 Junii anni 1822, consistendi sua peccata infra octo dies, quæ præcedunt festum, cui annexa est indulgentia plenaria, extenditurne ad dies orationis 40 horarum consecratas; et communicatio potestne fieri die præcedenti, modo visitetur sanctissimum sacramentum fidelium adorationi expositum?

5. Possuntne applicari indulgentiæ coronis, seu annulis argenteis, vel aureis, in quibus sculpti sunt globuli decem, ad recitandum rosarium, vel tertiam ejus partem?

6. Possuntne indulgentiis sanctæ Birgittæ dictis donari coronæ precativæ quinque, et non sex decadem? Post quamlibet decadem requiriturne recitatio symboli apostolorum ad lucrandas indulgentias?

7. Licetne, aut saltem convenitne iterum applicare indulgentiam in articulo mortis. 1º quando ægrotus accepit applicationem in statu peccati mortalis? — 2º quando post applicationem diuturna laborat ægitudine: uno verbo, quando rituale permittit, aut præcipit iterationem extremæ unctionis, aut confessarius judicat iterandam esse absolutionem? — Et Deus, etc.

Ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum. — Die 20 Junii 1836.

PROPOSITIS DUBIIS RESPONSIO.

Ad 1. Non amittuntur benedictio et indulgentiæ, si una, vel altera tantum crux removeatur a pariete ecclesiæ ad illam dealbandam, sed si simul omnes cruces removeantur (ut postea iterum ponantur in d. Ecclesia), Fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam ecclesiam, vel oratorium translatae sint cruces sine Apostolica facultate.

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. In Decreto cit. legitur: « In locis in quibus ob inopiam confessoriorum nequeunt fideles frequenter confessione sacramentali expiari, postulantibus communicetur decretum dat. die 19 Decembris 1763, de Confess. hebdomadalibus, etc. et facto verbo cum SS. extendatur ad omnes Christianos, unde confessio peracta infra hebdomadam, ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpæ post peractam confessionem commissæ conscii sint; nihil innovando circa indulgentias ad formam jubilæi con-

cessas, ut in prædicto Decreto 19 Decembris 1763.

R. Vigore cit. decreti 12 Junii 1822, obtemperante, ut supra, a postulantibus, quoad confessionem, *Affirmative*; id est extenditur etiam ad indulgentiam lucrandam in oratione 40 horarum concessam. Quoad communionem peragendam die præcedenti, *Negative*; quia indulgentia pro solemnitate orationis 40 horarum concessa, non incipit a primis vespersis, sed de mane exposito SS. sacramento, et communio fieri potest in pervigilio earum festivitatum tantum, in quibus Indulgentia incipit a primis vespersis, ut ex præcit. Decreto 12 Junii 1822.

Ad 5. *Negative* pro indulgentiis rosarii recitationi concessis.

Ad 6. *Negative* quoad primam partem, nisi habeantur peculiares facultates. *Affirmative* ad 2. partem, si dicatur corona sex decadem s. Birgittæ nuncupata.

Ad 7. ad 1 et 2. *Negative.* Sicut non iteratur extrema unctio, et si ægrotus sacramentum hoc accepit in statu lethalis peccati, vel postea in peccatum relapsus est; sic non est in utroque casu iteranda benedictio pro lucranda plenaria indulgentia; quæ cum concessa sit a Summis Pontificibus pro mortis articulo, suum sortitur effectum in vero articulo mortis. (P. Theodor. a Spiritu S., par. II. De Indulg., cap. 11, art. 5, § 5.)

Ad 3. prout jacet, *Negative pariter in omnibus.* Neque valent exempla iterationis extremæ unctionis, ac absolutionis. Iteratur sæpe absolutio, sed pro remissione peccatorum quoad culpam etc. Iteratur extrema unctio in ipsa infirmitate; si diuturna sit, ut, cum infirmus convalescit, iterum in periculum mortis incidat (Ritual. Rom. De extrema unctione), quia per istud sacramentum peccata venialia remittuntur, ægroti mens a timore mortis liberatur, animusque pio et sancto gaudio repletur etc., ac sanitas quoque corporis eidem, si ita expediat, rededitur (Trid. Synod. sess. XIV De extrema unctione). Aliunde vero Indulgentia Plenaria per Apostolicam benedictionem lucranda remittit poenam temporalem peccati, et in vero mortis articulo efficaciam habet (ait P. Theod. cit.) ut fideles vere contriti de peccatis ad æternam beatitudinem statim perducantur.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex Sec. S. congreg. Indulgentiarum.

(3. *Orationes vernaculo idiomate.*

Beatissime Pater.

Nonnulli sacerdotes Sabaudia ad pedes S. V. provoluti, cum humilitate et reverentia exponunt dubium a B. V. solvendum, videlicet:

1. Utrum in idioma gallicum vertere liceat preces quasdam cum indulgentiis latine et italice scriptas, et in libro, cui titulus — *Raccolta di Orazioni, e pie Opere coll' Indulgenze* — relatas. Quæ versio gallice videretur necessaria, ut preces prædictæ cum ube-

FERRARIS. IV.

riori fructu a plebe utramque linguam nesciente legi ac intelligi possint?

2. Utrum fideles, recitando preces jam dictas, sic gallice versas, indulgentias, ut prius ante versionem lucrentur?

Ex secretaria sacrae congregationis Indulgentiarum sacrisque Reliquiis præpositæ.

In decreto approbationis opusculi, cui titulus — *Raccolta di Orazioni, e pie Opere, per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze* — a Sacra Indulgentiarum congregatione pluries evulgato, ac præsertim pro nona editione sub datum Romæ die 30 septembris 1837, minime prohibitum est eam alio quocumque idiomate vertere et exarare; sed monetur potius, « quod si in quacunque ejusdem operis editione, seu versione cujuscumque idiomatis, tam in Urbe quam extra exarata, vel quæ exarari contingat, dubium aliquod subinde emerit, sive quoad Indulgentiarum concessionem, sive quoad præscriptas concessionem adimplendas, ad postremam hanc editionem typis Michaelis Perego — Salvini gnaviter excusam, et in ipsius S. congregationis secretaria asservatam, recursus habeatur. »

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex eadem S. congregationis Indulgentiarum secretaria die 14 Maii 1838.

Loco & Sigilli.

A Canonicus Prinzevalli Substitutus.

(4. *Dubia pro indulg. Viæ Crucis.*

Quidam vicarius generalis in Gallia sequentia dubia proponit:

1. Detecta nullitate alicujus erectionis stationum *Viæ Crucis* ob defectum executionis conditionum in Apostolico Rescripto, vel de jure præscriptarum, est ne necesse, hujusmodi nullitate sanata, iterum benedicere cruces et pictas tabellas jam antea benedictas?

2. Petitiones pro hujusmodi erectionibus fieri debent cui de jure in scriptis sub pœna nullitatis concessionis, vel sufficit quod factæ sint ore tenus?

3. Si hujusmodi erectio nulla detegatur ob omissionem documenti in scriptis talis concessionis, et secutæ executionis, poteritne hujusmodi defectus in posterum, atque etiam post longum tempus suppleri?

4. Estne tempus determinatum, et quale, pro confectione documenti secutæ erectionis stationum *Viæ Crucis* vigore Apostolici Indulti?

Ex sacra congregatione Indulgentiarum sacrisque Reliquiis præposita sic respondetur:

Ad 1. Dummodo nullitas non cadat super cruces antea benedictas, minime necessarium est, alias nullitate sanata, iterum cruces benedicere.

Ad 2. Quanquam in scriptis, ac de consensu Ordinarii, et loci patroni optanda sit petitio, tamen si ore tenus, sub pœna nullitatis, *Negative.*

Ad 3. Suppleatur Documenti defectui per novas litteras institutionis, seu confirmationis ab Ordinario conficiendas, dummodo constet aliunde de sequuta erectione.